



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Vt illud faciamus & custodiamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Moyſi: Nūquid manus Domini inualida eſt? Sic Exo-
 3. quando miſit Deus in Aegyptū Moyſen, dixit illi:
 Educes populū meum, & ego ero tecum: hoc verbum
 oris Dei, Ero tecū, notauit Moyſes, & pende-
 bat fide in illo, dū tranſiuit mare, dū ſequerentur hoſtes, dū
 cibis & potus deficeret in deſerto, & nihil illi impoſ-
 ſibile videbatur, quantumcunq; etiam hoc rationi &
 ſenſibus impoſſibile erat: cogitabat enim, Deū menti-
 ri non poſſe. Sic ſi peccatū vrget, & deſperationē ſua-
 det, fides pendet in illo verbo Ioā 3. Sic Deus dilexit
 mundū, &c. Eſa. 53. Poſuit Dñs in eo peccata omnium
 noſtrū. Ro. 4. Mortuus eſt pro peccatis noſtris, &c.
 Luc. 19. Venit filius hominis quærere & ſaluū facere
 quod perierat, & conſimilib. locis Euangelij. Hoc ver-
 bū viuificat contra peccatum & retinet pœnitentē in
 vita & pace. Quòd ſi tribulatio, infirmitas, amici aut
 inimici perſequuntur, fides ſemper pendet in verbo
 Dei, Io. 16. Confidite, ego vici mundum. Et, Princeps
 huius mundi non habet in me quicquā. Si mors hōr-
 rorem incutit, fides pēdet in illo verbo Chriſti Io. 11.
 Omnis qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vi-
 uet &c. Si infernus & Dēmon terret, Io. 14. Princeps
 huius mundi iudicatus, ligatus eſt: nihil poteſt vltra,
 quā Deus permittit. Sūma, non eſt aliqua calami-
 tas in mundo, in corpore, rebus, officio &c. quæ non
 contrariam habeat conſolationem & promiſſionem
 quam fides tenet, & ſic in Deo viuut.

Iſte cultus, cum ſic verbo Dei credimus, & nos cō-
 ſolamur, maximè placet Deo: e contra, grauiffimum
 peccatum eſt, verbum Dei oſcitanter & ſine intelle-
 ctu murmurare, cantare aut legere, & non ſic in ten-
 tatione conſcientiam confortare, idè dicitur Hier.
 48. Maledictus qui facit opus Domini fraudulentem.
 Sic omnes ſancti pendentes fide in verbo Dei, vice-
 runt regna, operati ſunt iuſtitiam, & adepti ſunt re-
 promiſſiones, Hebręor. 11. Hęc fides in verbo Dei ap-
 prēhen-

præhensa, est gladius Spiritus, quo depugnatur sa-
 than Vult ergo Deus vt nudè pendeamus fide in ver-
 bo suo. Multi credunt, si diuites fuerint, si prospere il-
 lis successerit: multi, quia plura bona fecerunt, con-
 fidunt se saluos fore, non pendent nudè ad verbum
 Dei. Quod ppter Christum promittit salutē. Act. 10.
 Huic omnes Prophetę testimoniū perhibent &c. ma-
 ximus ergo Dei cultus est, credere verbo diuino, &c.

Quia in Euangelio sunt multæ promissiones, quo
 ad pios, etiam multæ comminationes quoad im-
 pios, vt Matthæi 11. de ciuitatibus, & cap. 23. de Pha-
 risæis, & cap. 18. de non remittentibus offensam &c.
 Igitur non solum oportet credere, quòd sic verum sit
 quod Euangelium docet, sed oportet etiam facere.
 Matth. 7. Qui audit verbum Dei, & facit illud: & Luc.
 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,
 Qui ergo non facit iuxta verbum Dei & viuit, is nõ-
 dum credit, etiam si dicatur & sibi videatur credere.
 Recte dicitur, quia rara auis vera fides, & Luc. 18. Ve-
 runtamen filius hominis veniens putas inueniet fi-
 dem in terra? id est, qui pendeat nude in verbo Dei in
 omni tentatione, & qui opere faciat Euangelium.
 Sed nihil consolabilius in toto mundo, quàm hæc fi-
 des: Dominus dixit, is mentietur minimè. Habet e-
 nim verbum Dei efficaciam & virtutem. Sic credidit
 Centurio Matth: 8. & sic commendatur regulus Ioan.
 an. 4. Qui autem plus tribuit personæ Christi, quam
 eius verbo, arguitur à Christo Ioan. 4. Hæc est enim
 propriè fides iustificans, assentiri & credere verbo
 Dei aut promissionibus diuinis.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *De certitudine conscientie in re salutis.*
2. *Quòd misericordia Dei quæ propter Christum
 exhibetur.*